

Unigena æterni Patris, Deus, omnia nutu  
 Qui vertit, rerum conditor, has hominum  
 Delicias, & opes, & gaudia respuit, atque  
 Despuit: Aerumnam hanc, homines fugimus  
 Quam misere, hanc ipsam cupide complectitur, unam  
 Hanc vitæ comitem vult sibi perpetuam.  
 Cernite: nascenti cognata nullus in urbe  
 Est locus; humano pulsus ab hospitio  
 Montivagas inter pecudes, horrentia dumis  
 Antra colit, gelidæ quæ super usque nives  
 Densantur, pluviaeque inter cava saxa meantes  
 Manant e scabris undique pumicibus.  
 Mater inops inopem juxta gemit, haud potis illa  
 Sævam hiemem, & Cauri frigida præcipitis  
 Flabra arcere: potis quod si foret ipse volenti  
 Vel parvam ærumnæ demere particulam,  
 Infans obstaret certe puer; obstat ut illis  
 Qui circumvolitant aligerum thyasis:  
 Obstat ut Eois ducibus, ne ditia præter  
 Dona velint aliquo ferre domum in tepidam,  
 Quo nec hiems penetret, nec sævi flamina venti,  
 Multaque det mollem subdita pluma torum.  
 Mox antro e dulci furor, & vis impia pellet,  
 Versaque in immeritum tela cruenta caput;  
 Quæ fugiet, non ut vitet, sed perferat olim  
 Ut majora suo tempore supplicia.  
 Sancte fave; firmaque tua virtute tuorum  
 Pectora. Jam duras, te præeunte, vias  
 Ingredior; jam nil terret: fractus ruat orbis,  
 Impavidum hoc feriet vasta ruina caput.